


# PALAESTRA LATINA

## S U M M A R I U M

Varia Augstea	(GRIERA)
Orthographia latina archaica	(JIMÉNEZ)
Nova et Vetera	(AVENARIUS)
Aenigmata	(PAOLI)
De voce «Pondo»	(MIR)
In Martyres Barbastrenses	(MATTEOCCI)
Christus Rex Martyrum	(MARTIJA)
Aurea Martyrum Testimonia	(JIMÉNEZ)
Bibliographia	(MIR)
Per Orbem	(ACTUARIUS)
Mirifica Portenta	(MARCOS)

Ordinarii et Superiorum permissu



**Talleres Castellanas, S. A.**

(Casa fundada en 1871)

**Escultura Religiosa**

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

## LIBRERÍA LITÚRGICA

Rafael Casulleras. - Vía Layetana, 85 (antes Claris, 15) - Barcelona

Acaba de publicarse la nueva edición del **MISSALE ROMANUM**

Detalles de esta nueva edición - 1941 editada en Barcelona

Impresión a dos tintas, clarísima, de tipos grandes y muy legibles. Ilustrada con preciosas láminas. Papel superior. Su tamaño, en pequeño 4.<sup>º</sup> (28 x 20 cént.) grueso de lomo que no llega a 5 cent., hace que sea el Misal preferido por todos, ya que la práctica demuestra sus ventajas sobre otros Misales de los de tamaño 4.<sup>º</sup> y gran 4.<sup>º</sup> de mayor peso y de más engorroso manejo.

*LOS PRECIOS SON LOS SIGUIENTES:*

*Encuadernación núm. 1. En tomo piel, llano tela, cruz dorada cortes amarillos, (imitación dorado) o rojos, broches de metal. Ptas. 110*

*Encuadernación núm. 2. Todo piel achigranada, encarnada o granate, cortes amarillos bruñidos, imitando a dorado, cruz dorada, orla en seco, cintas de seda superior, broches de metal en dorado fino y clavos. Ptas. 155*

## **MISSÆ DEFUNCTORUM - Edición 1940**

EX MISSALI ROMANO DESUMPTÆ, ACCREDIT RITUS  
ABSOLUTIONIS PRO DEFUNCTIS - Barcinone MCMXL

Impresión a dos tintas, de tipos grandes y muy legibles, ilustrada con preciosas láminas y viñetas. Tamaño en pequeño 4.<sup>º</sup> (28 x 20 centímetros)

*En tela, cortes rojos, orla y cruz gofrados, cinta de seda, ptas. 15*

*Idem que la anterior, pero con cruz dorada, ptas. 17*

**Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis**

# PALAESTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSIBUS EDENDUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 20 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Premium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

## Varia Augustea

### 1. — Caesaraugusta - Zaragosta - Zaragoza

«Zaragoza», uti nos Hispani celebrem ad Hiberum urbem vocamus, a Latino vocabulo «Caesaraugusta» provenisse, nemo est qui dubitet. Testantur etenim Romanae inscriptiones, necnon et pristini et medii aevi scriptores.

Tamen leges phoneticae aliquid objicere videntur. Nam si «Zaragoza» a «Caesaraugusta» procedit cur non *Zaragosta* potius quam «Zaragoza» praevaluit? Nonne hoc sibi volunt leges phoneticae?

Sed in loquela vernacula, quam *dialecto ribagorzano* dicimus, quaeque in Hoscae et Illerdae finibus loqui solet, res miras et archaiicas reperimus. Etiam nunc saeculo XX currente, haec loquela eadem simili ratione volvitur ac periodo linguarum *praelitteraria*, saeculis nempe XI et XII. Proferam exempla nonnulla:

- 1) diphongus **ei**: *feit, lleit*.
- 2) litterarum palatalium complexus initio vocabuli **pl-**, **bl-**, **cl-**, **gl-**; *pleit, blanc, clla*;
- 3) **-te**, **-st**, in **-z** vertitur: *toz* (todos), *portaz* (portatis), Hispane *uzo* (pueta):

Nunc igitur si rem adtente consideramus, hoc nempe Catalaunici et Aragoniensis sermonis *praelitterarii* proprium fuit, facile perspicies cur *Zaragoza*, minime vero *Zaragosta* praevaluerit.

### 2. — Octaviani Caesaris Augusti Castrum

Ecclesia paroecialis, ubi nunc munera sacra fungor, —quondam Regium Sti. Cucuphatis in Valle Monasterium— e ruinis cuiusdam aedis romanae surgit. Prope via Romana sternitur quae per Juncariam (*Junquera*) in Hispaniam ingrediebatur, quaeque per Gerundam (*Gerona*) non ad ripam maris, sed per medium *Vallem* (el Vallés), ad Tarraconom perveniebat. Inter Martyrellam et Martyrellum (*Martorell* et *Martorell*) Octaviani Caesaris Augusti castrum erat, ubi

**Augustum vixisse ferunt; ibique, vertentibus annis, Barcinonenses praetores ergastulum statuere ubi Christi fideles recluderent, vexarent, variisque tormentis necarent si in fide perseverabant.**

In hoc Regio Monasterio quamvis plurima sunt Romana vestigia, nulla tamen remanet inscriptio in qua Augusti Caesaris nomen legi liceat. Tamen in sacrario necnon et in quodam laterum altari prostat inscriptio —«*Octaviani Caesaris Augusti Castrum*»— sub castello romano caelata. Unde conligi potest saeculis XVII et XVIII nondum fama Augusti castri ex hoc Regio Monasterio evanuisse.

### **3. — Octavii Caesaris Augusti nomen in popularibus verbis et proverbiis**

Duo tantum imperatores —Julius Caesar et Octavius Caesar Augustus— gloriam et immortalitatem adepti sunt sua propria cognomina duobus anni mensibus mutuando.

Etenim nomen octavi mensis ab ipso Octaviano Augusto provenire, quis ignorat? Ab eodem plura alia vocabula diminant. Non omnia uniuscujusque vernaculae linguae proferre intendam, sed tantum eorum nonnulla quae inter nos in usum venerunt. Proverbia quoque adferam praesertim ex Catalaunica terra recepta.

Rem tantum adtingam: omnia persolvere non est opus, nec tempus. Ceterum omnibus fere libris spoliatus, non mihi ad manus sunt opera illa, quibus indigerem ut penitus rem absolverem et declararem.

**Augustus:** Agosto. 1) Octavus mensis anni; 2) tempus frugum fructuumque percipiendorum; 3) ipsa perceptio; 4) egestas; 5) lucrum; 6) mythicum signum, quo Ceres vel messor quidam repraesentatur.

In *Rivipollensi* porticu jam saeculo XI, *augustus*, octavus anni mensis, figuratur in agro jam jam messoribus parato. Nos hunc mensem «agosto» dicimus ab «**Augusto**». Quod facile explicatur, quia littera *velaris g*, jam tempore romanorum, post diphthongum **au** litteram **u** rejicere copta est, unde *Agustinus*.

Ceterum Augustus tempus messis est, ergo et messis et tempus messis et lucrum quod e messibus fit nos Hispani dicimus «agosto»: *hacer su agosto*.

Praeterea Augustus mensis aridus, ideoque ad ariditatem et egestatem translatum est verbum; Hinc ex. gr.:

**Agostable:** quod aridum fieri potet.

**Agostación:**

**Agostamiento:** { Actio et effectus arescendi.

**Agostar:** 1) arescere; 2) de floribus in arboribus coctis; 3) gramina aratro eradicare; 4) aridum sicut gramen mense Augusto esse; 5) fructuum maturitatem festinare

**agostada:** olea quae de oleo decidit (Móra),

**agostader:** ager tritici post messem (campo de rastrojo — Torelló).

**agostejar:** 1) dicitur de uvis cum arescunt (Bocairent. Calaceite),

2) de facie alicujus qui livet (Valencia),

**agostizo:** quod facile minuit.

Quae derivantur ab «augusto» quandam cum hoc mense conjunctionem habent:

*agostar*: aestatem, speciatim augustum mensem, peragare.

*agoster*: de pecoribus augusto mense natis (Nules).

*agostí*: pullus augusto mense nato (Monacor - Mallorca).

*agostillo*: «hacer su agostillo» h. e. lucrum facere.

Nec desunt proverbia quae frequenter ad Augustum mensem se-  
se referunt:

1. Sub finem Augusti brevior fit dies:

«A últims d'Agost	A últimos de Agosto
a les set és fosc» (Sort)	a las siete es de noche.

2. Mensis tempestatibus abundans:

«Per l'Agost	En Agosto
els temporals, a la entrada fosc»	temporales al anochecer.

3. Sed maxima proverbiorum pars ad vindemiam aliquo modo  
spectant:

1) «*Agost i verema*  
*no tots els dies s'aglega*». Agosto y vendimia  
no es cada día;  
y si cada año,  
unos con ganancia  
y otros con daño.

2) «*Aigua d'Agost*  
*fa mel i most*». El agua de Agosto  
hace miel y mosto.

3) «*Per l'Agost*  
*bull el mar*  
*i bull el most*». En Agosto  
el agua hierva  
y el mosto fermenta.

4) «*Agost*  
*prepara la bota pel most*». Agosto  
prepara la cuba para el mosto.

4. Habemus quoque proverbia de messium tritura de ficis:

1) «*A l'Agost*  
*bat el peresós*». En Agosto  
trilla el perezoso.

2) «*Cada cosa en son temps*  
*com les figues per l'Agost*». Cada tiempo tiene sus meses  
la de los higos en Agosto.

5. Pessimae infirmitates quae mense Augusto oriuntur:

«*Per l'Agost es madura*  
*pel Setembre sepultura*». En Agosto madura  
en Septiembre sepultura.

6. Demum nihil finitur quin prius coeptum sit; hoc idem vide-  
licet proverbium, quod sequitur, dicere videtur:

«*Agosto madura*  
*Septiembre vendimia*.

A. GRIERA,  
in Seminario Barcinonensi Professor.

In Regio Monasterio Sti. Cucuphati ad Vallem.

# Orthographia latina archaica

## B) Leges seu praxis rectae interpretationis

### a) Vocales

Nondum geminari coepitae sunt vocales natura longae, ut postea Accii tempore accidisse constat. Tamen vocales in orthographia archaica diverse ac postea inter classicos adhibitae sunt. Habes exempla:

E = I

**Ab archaicis:** enque, hec, meretod, navebos, tempestatebos, ploirume, aidiles, exemet, fuet, dedet, ornavet, cepet, sei queis, etc.

I = E Praesertim in syllaba ultima accusativi et nominativi pluralis tertiae, quam vocant, declinationis.

**Ab arch.:** cartaciensis, omnis, ferentis, cet.

**Apud classicos:** inque, hic, merito, naribus, tempestatibus, plurimi, aedilis, eximit, fuit, dedit, ornavit, cepit, si quis, etc.

**Apud clas.:** cartaginienses, omnes, ferentes, cet.

O = U

**Ab arch.:** consol, cosentiont, exfenciont, navebos, Cornelios, primos, filios, Luciom, Samnio(m), viro(m), cet.

**Apud clas.:** consul, consentiunt, exfutiunt (=effutiunt), naribus, Cornelius, primus, filius, Lucium, Samnium, virum, cet.

Primos, ita scriptum, quia mos fuit apud latinos I longius usurpare:

- 1) tempore arcaico et classico ad i natura longum.
- 2) tempore recentiore ad j, seu i consonam, exprimendam.

Tamen a saeculo II post Chr. indistincte pro quacumque i usurpatum invenimus.<sup>1</sup>

O = I

**Ab arch.:** olorum.

**Apud clas.:** illorum.

O = E

**Ab arch.:** vorsum, advortit.

**Apud clas.:** versum, advertit.

U = I

**Ab arch.:** optumo, ploirume, maxumas, parisuma, caputalem.

**Apud clas.:** optimo, plurimi, maximas, parissima, capitalem.

In gerundivis formis semper ab archaicis scriptroribus faciendum, legundeis, capiundeis, minime, faciendum, legendis, capiendis.

### β) Diphthongui

Ai=Ae. Ex' gr.: oide, aidiles.

APUD CLAS.: aide, aedilis.

Ei=I. Ex. gr.: quei, numei, virtutei, castreis, sociels.

APUD CLAS.; qui, nummi, virtuti, castris, sociis

Oi=U. Ex. gr.: oino(m), ploirume, oinuvorsei, comoinem.

APUD CLAS.: unum, plurimi, universi, communem.

Oi=Oe. Ex. gr. foiderateli.

APUD CLAS.: foederati.

Ou=U. Ex. gr. abdoucit, Loucanam, iousiset, coniourase.

APUD CLAS.: abducit, Lucanam, jussisset, conjurasse.

<sup>1</sup> Cfr. EDON. Ecriture et Pron. du latin, p. 90-91.

## ¶) .Consonnae

Nulla in orthographia archaica geminabatur littera, ut modo in «iousiset, coniourase» vidimus. Hanc vero consuetudinem Ennius (239-155) mutavisse fertur, cum geminatas litteras induxit. Inter orthographiam archaicam et classicam hoc est notissimum discrimen: consonas in archaica nunquam iteratas videbis, iteratas invenimus apud classicos. Ex jam allatis exemplis collige testimonia:

**Orth. archaica:** olorum, parisuma.      **Orth. clas.:** illorum, parissima, numeri, iousiset, coniourase.

Praeterea, quae sequuntur mutationes p̄ae oculis habeas.

B = P saepe fit ante s vel t.

**Ex. arch.:** optineo, opsides.

**Apud. clas.:** obtineo, obsides.

C = G Littera g ante saeculo III romanis ignota, ejus usus tribuitur primum Spurio Calvinio Ruga.

**Ex. arch.:** leciones, macistratos, cartacinensis.

**Apud. clas.:** legiones, magistratos, cartaginenses.

D = B.

**Ex. arch.:** duonoro, duelum.

**Apud. clas.:** bonorum, bellum.

Quoad bellum, remanet etiam nunc duplex forma, et duellum et bellum.

D finale, saepissime in ablativo singulari adparet.

**Ex. arch.:** praidad, altod, extrad, meritod, dictatored, navaled, mari.

**Apud. clas.:** praeda, alto, extra, merito, dictatore, navale, mari.

M in fine vocabuli saepe saepius omittitur.

**Ex. arch.:** Taurasia, Cisauna, Corsira, Aleria, Samnio, dino, optumo, duonoro, omne, Scipione, urbe, alde, cet.

**Apud. clas.:** Taurasiam, Cisauram, Corsicam, Aleriam, Samnium, virum, optimum, bonorum, omnem, Scipionem, urbem, aedem, cet.

N quandoque ommittitur, praesertim ante s.

**Ex. arch.:** cesor, cosol, cosentiont.

**Apud. clas.:** censor, consul, consentiunt.

P, T, C = Ph, Th, Ch.

**Ex. arch.:** Craccis, triumphe, Cetegos.

**Apud. clas.:** Gracchis, triumphe, Cetegos.

S = R, quod a grammaticis rotacisimum vocare solet.

**Ex. arch.:** foledsum, plusima, meliosem, asenam, ianitos, Valesi, melios, Lases, fere.

**Apud. clas.:** foederum, plurima, meliorem, arenam, janitor, Valeri, melior, Lares, fere.

Confer adhuc apud classicos esse et terre, arbos et arbor, duplices formas, quae usque ad nos pervenerunt.

Quod ad ph, th, ch, sese refert, habes Quintilianus et Ciceronis testimonium. Ait enim Tullius: «Ego ipse, cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumphos, Cartaginem, dicerem; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi» Or. 48.160. Quintilianus vero hoc plane confitetur: «diu servatum est ne consonantibus aspiraretur» (Inst. I, 5, 20). — JOSÉ JIMÉNEZ, C. M. F.

# **Nova et Vetera**

## **Schippediana Colloquia**

**Adolescens.**—Non bellam tibi, medice, hominis praebeo faciem. Labor paulo ciatius birota de monte ferrario imo viae curxamine in recentia rudera, hem! cernis quod secutum est; utramque laceram palmam, lacera crura. Et principio quidem haud ita acerbus dolor, sed nunc ibi ardor prorsus infernalis. Calamitosi, ut es bonus, suscipe curam! Sed quam tu inibis curae rationem? Spero euidem te non admoturum cultrum esse.

**Celsus.**—Qui tu, adolescens, cultrum memoras? Num tu nos ferrum inferre putas, aqua si quid sanari possit? Humepta foimenta attritis membris circumligabo; dum ligo, ades animo; nam ipse ligabis postea. Vides heminam aquae. In hanc do acetatae argillae<sup>2</sup> quantum capitur escario cochleari; si deest illa, etiam tantundem Chamomillinae theae tantidemst. Hoc ergo latice imbuo telae Mossulinae<sup>3</sup> aut lineae segmen, imbutum impono vulneri. Humidae telae ne siccetur tam cito, neve inhaerescat vulneri, superimpono lamellatam percham<sup>4</sup> vel byssum Billrothi.<sup>5</sup> Cuncta adstringuntur fascia. Haec igitur tu ipse facies aliquot diebus, bis terve singulis; admiraberis quam rapide vulnus perpurgetur. Post, si nihil apparuerit puris, nihil impuri, unguentum dabimus. Et sunt bonorum unguentorum multa genera ut Peruanum Lenicetum, desitimum, granugenium.<sup>6</sup>

A.—Rem ajo factu facilem, et nunc me obsolutum censeo.

C.—Nondum etiam. Res sibi adjunctam habet molestiam. Attrita ista, quod tute vidiisti, magnam copiam traxere pulveris et sordium; in quibus ne latitent bacilli tetani, nonnihil periculist. Et solet rigor iste nervorum infestis accidere octavo die. Is igitur casus in te cavendus est.

A.—Et quid facturus es?

C.—Salutare serum inseram. Quantillum negotii hoc est, cum tu quanto sic malo caveas cogitas.

A.—Itane vero medice?

C.—Ita vero esse tibi persuasum habeas, adolescens, birotatorum<sup>7</sup> fortissime...

1.—Hemina est liquorum mensura, quarta pars cubici decimetri.

2.—Sic ad verbum reddidi «*Essigsaure Tonderde*». In officinis appellari video «liquorem aluminii acetici».

3.—Tela Mussolina est textum carbasium, tenue et molle; primum ex urbe Mossul importatum, inde accepit nomen.

4.—Guttapercham quid nominarem non inventeram ante. Postea intellexi «lamellatam percham» esse. Gutta est gummea massa similis ei quam cauduc vocamus. Nomen malaicum *gutab* sonat gumi. Pertscha magna arbor est propria insulae Sumatrae et illarum insularum, cuius sucus dat guttampercham. Effectio ususque, quod longioris est sermonis, in aliud tempus differo.

5.—Carbasus vel byssus Billrothi est textum ex lino xylico, flavi coloris infectum (sic audeo reddere) acidato adipeo plumbo (*fettsaures Blei*), impervium aquae. Theodorus Billroth, Germanus, praestantissimus medicus et scriptor natus est anno 1829, mortuus 1894. Ex eo textum nominatur.

6.—Unguentorum ista nomina transcripsi ex calendario. Lenicet paulum olens acetum pulvis est, eiusdem naturae eiusdem efficientiae atque aluminii acetici liquor in vulneribus, in furunculis, in sudoribus depellendis, et venit vel farinosum vel unguentarium vel pulvereum vel ut oralis aqua. In isto nomine puto inesse lenire et acetum voces. Desitivum a desinendo duci videtur. Granugenium quid sit nusquam repperi. Granogenoleum adhiberi video sanandae, cum lacera est «telae cellulosa» que dicitur, quae Germanice est *Bindegewebe*.

7.—Usus jam habet birotam, notissimum duarum rotarum vehiculum. Nunc si Vitruvio licuit subrotatum dicere, quod rotis inniteretur, non absurde ego videor birotatum hominem appellare, qui insideat birotae. Celsus vocat ironice adolescentem nostrum «Meisterfahrer», hoc est vectorum principem, vectorum magistrum.

Quam multa vocabula novanda in voeabulariis nostris desiderantur! Quanto Labore lingua Latina hodiernis institutis et inventis artium et scientiarum accommodabitur! Et tamen...


ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

# **Aenigmata**



1. Purpura sum terrae pulchro perfusa colore,  
Saeptaque, ne violer, telis defendor acutis;  
O felix, longo si possim vivere fato!
2. Ut Venus, emergo spumis circundatus albis;  
Quis putet ex nigra me genitum esse sue?
3. Contero cuncta simul virtutes robore magno;  
Una mihi cervix, capitum sed forma duorum;  
Pro pedibus caput est: nam cetera corpore non sunt,
4. Quattuor aequales currunt ex arte sorores;  
Sic quasi certantes; cum sit labor omnibus unus.  
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.
5. Quem leviter tetigi, subito vocem edit acutam;  
Juxta est. Cur vocem reddidit ille procul?

U. H. PAOLI



## **Solutiones numeri 66**

Aenigmata numeri 66 fere omnia resoluta sunt a Ftre. Hilario a P. J. Carmelita Discalceato, qui in litteris Metymnae Campi, V Kal. junias 1941, datis ita se habet.

«Rde. admodum Pater Palaestrae Moderator: Putabam numeri praecedentis aenigmata de facili solutum iri; at cum eorum nullius videam hoc in numero solutionem, en tibi meas, quas adinveni, mitto».

- |                       |             |
|-----------------------|-------------|
| 1) Clavis             | 4) Os, oris |
| 2) Fumus (an pulvis?) | 5) Papaver. |
| 3) Nubes              |             |

Tamen non omnes solutiones Ptris. Hilarii re vera placent. En optimae et verae solutiones:

- |            |                         |
|------------|-------------------------|
| 1) Clavis. | 4) Flumen cum piscibus. |
| 2) Tegula, | 5) Papaver.             |
| 3) Fumus.  |                         |

## De voce «Pondo»

Qui classicos auctores nocturna versant manu ac diurna saepe numero impervia, obscura aut captu certe difficultia invenient plura quae enucleatione et explicacione opus habent. In his adnumerandus nobis videtur usus vocis *pondo*.

Post diuturnam exemplorum pervestigationem ac praecipuorum auctorum<sup>1</sup> qui hanc pertractant quaestionem, duplex vocis *pondo* usus statuendus nobis videtur.

### 1. PONDO idem ac PONDERE

*Pondo* est vox indeclinabilis seu, ut ait Charisius, monoptota, quae originem dicit a vetere *pondus*, i. in ablativo casu. Unde primigenius sensus fuit *pondo* = *pondere* [de peso] tamquam ablativus limitationis ut W. Kroll<sup>2</sup> innuit et jam Perizonius in Sanctii Minerva notaverat: «Et dicitur *pondo* tot librae itidem ut numero tot homines» (4. 4, n. 53). Hujus ablativi comparationem instituere forsitan fas sit cum ablativis pretii, ut: *auro rendere, mercede docere, pondere (pondo) valet*, uti ex. gr: «Libella, quod libram pondo aeris valebat» (VARRO, L. L. 5, 36, 174).

Hujus prisci sensus exempla habes: «Huc ut addas auri *pondo* unciam» (PLAUT. Men. 3, 3, 3-526): i. e. addas unciam auri *pondere*: aurum ponderans unciam. Neque piscium ullam unciam hodie *pondo* cepi». (PLAUT. Rud. 4, 2, 8, -913) neque pisces cepi qui unciam librent, [ni una onza de peso, ni el peso de una onza]. «Nummi denarii decuma libella, quod libram pondo aeris valebat, et erat ex argento parva» (VARRO, L. L. 5, 36, 174). «Mellis adjictes *pondo* semiunciam» (COLUM. 12, 57, 5), [media onza de peso]. «Neque argenti in convivio plus *pondo* quam libras centum inlaturos» (A. GELL. 2, 22, 2).

In hac primaeva vocis *pondo* acceptione duplice distingueremus opus est casum: 1º Cum vocabula *libra*, *uncia*, *dodrans*, cet., voci *pondo* apposita syntaxeos regulas servant, eaque uti appositionis casus haberet posse videntur: «Hic piscis *libra* *pondo* est», *libra* in eodem casu ac *piscis*: «Piscem *libram* *pondo* emi; et 2º cum voces quae *pondo* uniuntur syntaxin praeterire videntur: «Paterae aureae libras omnes fere *pondo*» (LIV. 26, 47) *paterae* in nominativo et *libras* in accusativo casu.

Habes utriusque casus exempla.

a) PISCIS LIBRA PONDO: «Si ungulam non habebis, addito de perna frustum *pondo* semissem quam minime pingue» (CATO, R. R. 158, 1) *semissem* in appositione cum *frustum*. «Ut exercitus coronam auream dictatori *libram* *pondo* decreverit» (LIV. 3, 29). «Dictator coronam auream *libram* *pondo* Jovi dicavit».

b) LIBRAM PONDO: In accusativo inveniuntur *libra*, *uncia*, cet., velut *accusativus partis*:

«Paterae aureae fuerunt CCLXXVI, libras fere omnes *pondo*» (LIV. 26, 47). «Grave aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli *pondo* libras efficiebant denarium» (PAUL. DIAC. p. 981): *deni asses singuli* in nominativo et *libras* in accusativo casu. «Adjici debent myrrae quincunx, calami *pondo* *libram*, casiae selibram, amomi *pondo quadrans*.» (COLUM. R. R. 12, 205), quo loco optime notat Forcellinius sub voce:

1. Consuli praecipue possunt: MENGE, *Repetitorium* 174, 3; NEUE, *Formenlehre der Lateinischen Sprache*, t. I, p. 1867-869; SANCTIUS, *Minerva*, 4, 4, p. 597; MADVIG, *Grammatica della ling. lat.*, Paravia 48, 3; FORCELLINIUS, sub hac voce.

2. La Sintaxis científica en la enseñanza del latín, trad. Pariente, 1935, § 12.

*Libram et selibram minus conveniunt cum rectis casibus quincunx et quadrans». «Ex his igitur patet pondo libram esse veluti formulam, qua sub quolibet verbo utebantur» (FORCELL. sub voce *pondo*).*

Hunc accusativum *pondo* appositum (*libram, unciam*) explicat RIEMANN per participium *praesens* implicitum verbi *esse* (forsitan melius dices *verbi habere*) e. gr.: «Paterae aureae libras ferme omnes pondo», i. e. *paterae habentes singulae — pondo* (*pondere*) — *fere libras* [cada una de ellas tenia de peso una libra, el peso de una libra].

Conclues igitur *pondo* primitus limitationis seu explicationis sensum habuisse, ac nominibus pondera significantibus appositum esse, —ut *libra quincunx dodrans*— claritate et redundantia, vel si fidem Sanctio nostro facimus et Galeno, quia romani duplarem habebant libram, alteram ponderalem, mensuralem alteram. «Cum igitur ponderalem indicabant, addebant *pondo*; cum mensuralem, *mensura*» (SANCTIUS, *Minervia*, 1. 4, c. 4, p. 597).

## 2. PONDO idem ac LIBRA

Ex consuetudine et cottidiano usu vocis *pondo* sive ex limitationis significatione, sive ex unione cum *libra* et aliis ponderibus, significationem *librae* sibi pariter mutuavit, quae erat apud romanos veluti ponderis unitatem. et ideo *pondo* valuit *pondus librae, libram*. Recte igitur Sanctius in *Minerva* (4, 4, p. 597). «*Ubi est pondo, deest libra; ut si dicas: corona centum pondo, aut mille pondo, deest librarum*». Primo latinitatis tempore hanc mutationem seu aequationem *librae* et *pondo* accidisse appareat eo quod in lege tabularum XII. 3, 3, 4 legimus: «*Vincito aut nervo aut compendibus XV pondo*» (intellege *librarum*). Et VARRO, L. L. 5, 169 de antiquis ajebat: «*Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur*». Ex his verbis Varronis sensus evolutionem forsitan hoc modo adstruere possimus: *pondus librae = as (moneta)*, unde *pondus assis (=librae) = assipondium*, quod aequalitur *pondo* i. e. *libra*.

En tibi exempla:

«*Centenas pondo dicebant antiqui, referentes ad libras*» (FESTUS apud *Sanctium*, 4, 4, p. 597). «*Tu quidem haud etiam es octoginta pondo*» (PLAUT. *Persa*, 2, 2, 49-231). «*Auri quinque pondo abstulit*» (CIC *Claud. 64*, 179). «*Argenti pondo ducenta milia*» (SALLUST. *Jug. 62*, 5). «*Ballista duo pondo saxum mittere debet*» (VITRUV. 10, 11, 3), Intellege *saxum duarum librarum*.

Notandum tamen cum CHARISIO et MENGÈ (*Repetitorium*; 174, 3) libram numero unam dici *libram pondo*, minime *unum pondo*; «*Quanquam unum pondo non dici sciamus, sed in libram referamus, ut puta unam libram, duas libras: duo enim pondo et deinceps observamus*» (CHARIS. I, 12, 21).

Qua tandem acceptione — *pondo* significans *libram* — *pondo* genetivum qualitatis numeralium sibi sociare valet: *duum, trium, ducentum pondo*; aut numeralia eundem habere casum possunt ac rem de qua agitur velut in appositione: *duo, tria, centum, ducenta pondo*.

«*Corona aurea ducentum pondo*» (VARRO apud Non. p. 163, 33). «*Victoriam auream pondo ducentum ac viginti adferre sese*» (LIV. 22, 37, 5). «*Corona aurea ducenta pondo*». «*Argenti pondo viginti milia... polliceri coëgit*» (CAES. B. C. 2, 18, 4).

JOSEPHUS M.<sup>¶</sup> MIR, C. M. F.

Barcinone, Kalendis junii a. 1941.



1)




2)

## In Martyres Barbastrenses

Proximo mense Augusto, quintum memoria recoletur LI fratrum, qui Barbastri post magnas contumelias et cruciatus patientissime perpessa, martyrii gloriam adepti sunt. Forum laudes recens celebravit R. P. Jesus Quibus, C. M. F. eleganti et concinna narratione sub titulo «Misioneros Mártires» apud «Gráficas Claret», Lauria, 5, edita. Quod ad nos, juvat hanc narrationem omnibus Palaestrae lectoribus commendare necnon et eorum memoriae, carminibus et documentis quae sequuntur devovere ac dicare.

*Quae feritas Arabum, Getumque, sacerve Quiritum  
ob temerata Patrum templa Ueumque furor?  
Ingens pectoribus quae umquam mortalibus ira?  
Nonne oculis ardet mitior ipsa tigris?  
Quae tandem miserandas non vetat edere voces,  
et, si dente ferox, est tamen aure pia.  
Dulce per austeri tranquilla silentia tacti  
currebat sacro multa labore dies,  
Assiduisque diu votis studiisque petitum  
altaris castum jam probe pignus erat.  
Ast, ah! ecce rapax patriae qui litora vastat  
ingruit, infandum, turbo, domusque pios  
Undique subvertit sacros violatque penates.  
Turpiter insanis vocibus alma strepent  
Limina, et insontes juvenes aetate decoros  
Ensibus exterrant abripiuntque domo.  
O nobis frates, o spes dulcisima nobis,  
non poenis ipsa non nece victa manus!  
O flores, mortis funesta falce recisos!  
O fidei splendens, o juvenile decus!*

- 1) R. P. F  
Rect
- 2) Domus  
pect
- 3) Totius  
pect
- 4) In me  
Ecclesia  
aditu






*Carkeris humens obcaecat nec amabilis umbra  
 Virginis effulgens quos tegit ala sinu.  
 Angusto rerum gravis urget inopia techo.  
 Sordes atque fames torquet et ipsa sitis.  
 Sed tumidam impavidi rabiem armigerum atque malignam  
 constantes sortem laeto animoque ferunt.  
 Festivos juvenum rigida quoque lege lepores  
 carnifices cohibent et pia vota vetant.  
 Mordaci mores illudunt dente pudicos  
 et vitiare student femina et illecebris.  
 In cassum pietas tenerae sua verba ministrat  
 aetatis, frustra dulce genusque procax,  
 Cananturque minis animorum frangere vires  
 sancta et blasphemant maxima quaeque Poli.  
 Horrescent humiles sceleratis vocibus aures;  
 ast animi virtus stat, manet usque tenax.  
 Indigna tandem damnantur morte. Gregatim  
 alterni occumbunt funere quique nigro.  
 Horrendum crepuit: pavidis agitatus in auris  
 armorum referens funera tanta fragor.  
 Sicque alii intereunt. Alii sub nocte precantes  
 ardenter Fidei lampada casta fovent.  
 Scilicet immundo tumulantur sancta sepulcro  
 corpora quae effervens calx inimica cremat,  
 Sed caelo totidem manibus conexa supernis  
 fulgida martyrio serta seruntur eis.*

*JOS. MATTEOCCI, C. M. F.*

*Tusculi, iu Italia.*





Christus

Rex

Martyrum

*Vidi sub altare Dei animas  
interfectorum propter verbum  
Deis». (Apoc. VI. 9)*

**Ecce germinavit se-  
men martyrum! No-  
vi floruerunt Mis-  
sionarii in ipso loco  
martyrii.**

**Carpe, viator, iter, Barbastri qui advenis urbem,  
Claretianam ecclesiam  
Visere jam propera.**

**Atque altare novum, solido de marmore structum  
Variisque pictum symbolis  
Perge videre pius.**

**Ecce manu expansa Christus Rex surgit, eburnum  
Sceptrum sinistra temperans,  
Murice amictus adest.**

**Nobilis in medio velut arbor brachia pandit  
Crux, purpuratos obtegens  
Sanguine martyrii.**

**Nomina quae Christus caelo veneranda notavit  
Expressa signis aureis,  
Grande decus superis,**

**Aere incisa nitent ad cornu altaris utrumque.  
Ut in vireto lilia  
Orta vigore crucis.**

**«Vivat Christus Rex», qua voce recepta corona,  
Hac Te sub ara caelitum  
Christe, fatentur, ovant.**

**Jungimur huic voci quicumque extensa per orbem  
Optamus heroum aemuli  
Signa referre tua:**

**«Hosanna, laus, et gloria  
Tibi, Redemptor omnium,  
Quos fixus almo stipite  
Tuo luisti sanguine.**

**Tu, Christe, Dux altissimus,  
Pater, Deusque diceris,  
Rex saeculorum, cordium  
Virtus, salusque gentium.**

**Te candidata Martyrum  
Laudet beatorum cohors,  
Qui mortis ipso in limine  
Te prosecuti canticis.**

**Sceptro potenti gratiae  
Mentes rebelles subjice,  
Rex Christe: de throno crucis  
Tu VINCE, REGNA et IMPERA.**

**HENRICUS MARTIJA, C. M. F.**

**Barbastri, Kal. Juliis.**

# Aurea Martyrum Testimonia

Barbastrenium Missionariorum gloriam martyrialem, nequaquam obscuris testimonis, sed potius claris et perspicuis confirmaverim. Ipsi enim a tempore quo in vinculis fuerant constituti, nescio qua effrenata cupiditate efferebantur litteris mandandi sensus et cogitata mentis. Deerat calamus, deerat nitida cartula. His omnibus expoliati erant iteratis perscrutationibus a custodibus magna cura peractis. Sed mens, cum studium et cupiditas adsunt, instrumentis non indiget. Graphium quoddam inquisitoribus effugerat. Quid amplius? Parietes dealbati, chocolatorum involucra, scamillum quoddam, omnia, quae tunc ipsis ad manus erant in aula collegii Scholarum Piarum ubi adcurate custoditi detinebantur, eadem nunc clarissimi martyrii testes exstant nobis.

Satis sit ex tot tantisque testimoniis unum alterumque proferre in latinum translata, ea nativa simplicitate, qua vernacula lingua exarata sunt:

## 1) Congregatio Dilecta, salve!

*Nudius tertius, die XI, fratres sex, eo praestanti animo quo martyres, mortem adierunt; hodie, die XIII, victoriae palmam adepti sunt viginti fratres; cras vero, die XIV, ceteri, unus et viginti, nos morituros, speramus. Laus Deo! Laus Deo!*

*At filii tui, Congregatio dilecta, quam generosi strenuique sese gerunt! Per totum diem ad martyrium contendimus precesque pro persecutoribus et pro dilecto Instituto fundimus. Momento quo victimae cooptantur, omnibus inest tranquillitas sancta vocandique cupiditate trahimur ut procedamus et in electorum ordine sistamus. Momentum hoc liberali desiderio exspectamus, eoque instante, funes quibus vinciebantur, hos osculantes vidi mus, illos pro turba armata exorantes; tum cum autotrahâ in coemeterium ducuntur eos audivimus conclamantes: Rex Christus vivat! Turba vero furit: Intereat! Intereat! Sed nihil ipsis timorem incutit. Filii tui sunt, Congregatio dilecta, qui, manuballistis et pyrobolis minitati, audent tamen tunc cum in coemeterium trahuntur impavidi clamare Rex Christus vivat!*

*Cras ceteri progrediemur, at consilium jam iniimus inter armorum crepitus et sclopos Cor dulcissimum Matris extollere, Christum Regem, Catholicam Ecclesiam, Teque omnium nostrum dulcissimam Matrem. Socii rogant ut a me ovarî coeptum sit; se prosecuturos ajunt. Ipse igitur totis lateribus vociferabor. Tu vero, Congregatio dilecta, ariolare ex his ferridis clamoribus quam nobis sis in corde, nam et in ipsis doloris et mortis regionibus menti nostrae ades.*

*Omnis laeti mortem adimus, quin ullus sit qui haesitet aut formidet. Omnes mortem accipimus Deum precantes ne sanguis, qui per plagas effundetur, vindictam requirat, sit potius sanguis qui in tuas venas ruber et fervens ingrediatur, quoque vigeas, crescas et diffundaris.*

*Vale, Congregatio dilecta, filii, martyres Barbastrenses, a vinculis te consulatant tibiique dolores offerunt et anxietates in sacrificium expiatorium pro admissis in se culpis et in amoris fidelis, liberalis, perpetui testimonium.*

*Crastini martyres in mentem revocant se, die XIV, pridie ante festum Assumptionis, o quam suavis recordatio! morituros. Quia vestem clericalem gestamus mortem patimur et eodem ipso die patiemur quo eadem induiti sumus.*

*Martyres Barbastrenses, et pro omnibus postremus omniumque indignissimus. — FAUSTINUS PÉREZ, C. M. F.*

*Rex Christus vivat! Vivat Cor Mariae! Congregatio vivat! Vale, Institutum dulcissimum, in caelo quo ascendimus pro te rogabimus. Vale, vale.*

## 2) Morituri te salutant!

Barbastri, die XII m. Augusto a. 1936.

Sociorum sex martyrio coronati sunt, cito et nos coronaturos speramus; prius tamen testari volumus nos dum mortem patiamur carnificibus veniam impertiemus vitamque effemerum ad ordinationem christianam mundi opificum, ad Ecclesiae Catholicae imperium stabile, necnon et pro nostra Congregatione nostrisque parentibus et necessariis.

Oblatio postrema filiorum martyrum Congregationi:

Rex Christus, vivas!  
Congregatio, Martyr, vivas!

Faustinus Pérez, C. M. F.

Regnum Jesu Christi opificis in societate, vivas!

T. Capderila Miró, C. M. F.

Agosto 12 de 1936 en Barbastro.

Les de nuestros compañeros sopys ya muertos pronto estaremos entre los mártires, procurando queremos hacer constar que murieron perdiendo el honor que no quisieron la vida y ascendida por la orientación cristiana del mundo aluvio, por el reinado del principio de la Iglesia católica, por nuestra querida Congregación y por nuestros hermanos faciendo la bendita ultima a la Sagrada Cruz de su paso.

M. José Pérez  
Viva la Congregación de los Santos

Viva el Reino Social!  
de Francisco Pérez!!  
Viva Capderila Miró

Viva la Iglesia Católica!!  
M. José Pérez

Viva la Patria  
Patricia con nos!  
Juan Llorente Pérez

Viva el P. María  
García Pérez

Viva el P. Juan María  
Gutiérrez Gómez

Viva el P. Juan  
Díaz Gómez

Viva los mártires  
de la Iglesia

Viva Francisco Pérez  
Manuel Pérez

Viva Cristo Rey!  
Bendito sea el Señor

Por don a mis amigos  
y a su hogar

domine, dimitte illis. Agustín Vileta C.M.F.

Vivan Cristo Rey y el Corazón  
de Jesús. Edmundo Pérez

Viva Barbastro Católico!  
Esteban Boix C.M.F.

Que mi sangre por la salvación  
de mi alma. José Luis Díaz

Viva el obispado de Huesca  
José M. R. C. M.F.

Viva el P. B. P. Casas apóstol. Juan  
Luis Sáez del Castillo

Viva la misericordia de Dios.  
Manuel Pérez

Por dios luchar hasta morir  
Juana Ruiz C. M.F.

Gracias a tí a tí a tí  
por tu sangre

Mi sangre, bendito es tu  
sangre! J. Pérez

**Hispania Catholica, vivas!**

*Josephus M.<sup>a</sup> Ormo, C. M. F.*

**Dulcissima Virgo a Columna, vivas,  
meae gentis Patrona.**

*J. Sánchez Munárriz, C. M. F.*

**Cor Mariae, vivas!**

*Raphael Briega, C. M. F.*

**Cor Mariae, vivas!**

*Johannes Codinachs, C. M. F.*

**Btus. P. Claret, vivas!**

*Alphonsus Sorribes, C. M. F.*

**Martyres vivant!**

*Aloisius Escalé, C. M. F.*

**Rex Christus, vivas!**

*Emmanuel Torras, C. M. F.*

**Rex Christus vivat!**

*Eusebius Codina, C. M. F.*

**Inimicis ignosco.**

*Josephus Figuero, C. M. F.*

**Domine, dimitte illis.**

*Augustinus Viela, C. M. F.*

Viva el Corazón de Jesús - 2.º Aniversario  
Viva el Corazón de María  
Viva la Cruz de los mártires

Viva Cataluña Católica

Viva el Corazón de María ; Viva Nuestra Señora en Nuestra Madre la Virgen del Pilar  
Al final de cada carta 1000 intenciones para la Congregación y para los demás miembros  
Viva el Sagrado Corazón de María ; Viva los Sagrados Corazones de Jesús y de María  
Santiago Saura C.M.F. Santa ! Tomás M. Bader C.M.F.

Oficio liberto incluyó sangre humana  
menten que se celebra el Corpus Christi.  
Johannes Codinachs C.M.F.

quieren posar en el cielo  
naciendo bien a los otros!

Ramón Novarro Rovira

¡Vive Dios!

Nunca pensó en digno  
de gracia tan singular.

J. Cardenal M. C.M.F.

¡Viva Jesucristo Redentor!  
Viva el Corazón de María !  
¡Sagrado Corazón de Jesús!  
Viva a vos el Sagrado Corazón  
Centro de la fe católica  
¡Vivan los Sagrados Corazones de Jesús y de María!  
Juan Bascars, C.M.F.

¡Viven los Sagrados Corazones de Jesús y de María!  
Pedro Fernández Borrás C.M.F.

Tú qué ideal? - Oh Señor Reina  
Sa sangre da  
Salvador Pla y Gómez  
Viva la Congregación  
Confidencia

Viva el P. de María mi María  
y el Corazón Rey mi Redentor!

¡Viva el Papa y la Acción Católica  
Secundino M. C.M.F.

MARCA B



Salvador Pla y Gómez  
Viva el Sagrado Corazón de Jesús  
Tomo en los Corazones de los mártires

Barcelona 1940  
que su don esté en el Corazón de María  
que su Corazón sea el Corazón de María  
que su Corazón sea el Corazón de María

Haec aliaque docu-  
ments, Deo provi-  
dente, ad nos per-  
venerunt; quo modo  
vero, confer Bolet-  
ín Interno de la  
Provincia de Cata-  
luña. Abril, 1940

- Rex Christus vivat simul et Cor Mariae!**  
*Eduardus Ripoll, C. M. F.*
- Barbastrum catholicum vivat!**  
*Emmanuel Buil, C. M. F.*
- Offero meum sanguinem in animarum salutem.**  
*Xaverius Ludovicus Bandrés, C. M. F.*
- Operarii catholici vivant!**  
*Josephus M.<sup>a</sup> Ros, C. M. F.*
- Btus. P. Claret, o. Apostolus et Opifex! — Aloisius Lladó, C. M. F.**
- Religio catholica, vivas!**  
*Emmanuel Martínez, C. M. F.*
- Pro Deo usque ad mortem dimicare!**  
*Michaël Masip, C. M. F.*
- Deo gratiae gloriaque propter omnia!**  
*Raimundus Illa, C. M. F.*
- Tibi animabusque meum sanguinem,  
mi Jesu! — *Antoninus M.<sup>a</sup> Calvo, C. M. F.*
- Cor Mariae Immaculatum, vivas!**  
*Stephanus Casadevall, C. M. F.*
- Cor Jesu, vivas!**  
*Josephus M.<sup>a</sup> Amorós, C. M. F.*
- Catalaunia catholica vivat!**  
*Fscus. M.<sup>a</sup> Roura, C. M. F.*
- Cor Mariae Immaculatum vivat!**  
*Hilarius M.<sup>a</sup> Llorente, C. M. F.*
- Cor Mariae Immaculatum, vivas!**  
*Sebastianus Riera, C. M. F.*
- Offero libenter meum sanguinem innocentem pro Ecclesia et Congregatione.  
*Johannes Echarri, C. M. F.*
- Caelum sit mihi, ita cupio, operariis benefacere! — *R. Novich Rubionet, C. M. F.*
- 3) Parentibus fratribusque salutem!**
- J. M. J. Barbastri, 13 - VIII - 36. Dulcissimi parentes fratresque: A vinculis ubi a die XX m. Julii cum IL aliis sociis sum constitutus, has vobis litteras do, quae in vita erunt postremae. Cito Jesu Christi martyr ero. Nolite flere mortem meam, etenim pro Jesu Christo mori, aeternum vivere est. Pro vobis, ut obrium est, et pro omnibus necessariis vitam meam offero, ut dies faustus eluceat in quo omnes in caelo congregemur. Nam quoque pro salute dulcis Patriae, offero, miserandae Hispaniae et pro animarum totius mundi salute. Alfonsum in caelo invenire spero; ibi pro vobis deprecabor ut salutem aeternam consequamini. Felices nos, dilectissimi parentes, si post annos plus minusve, nos in caelo consociati erimus! Quod ad me, nunc et nunc enixe rogo ut vobis ad hunc casum fereendum Deus tribuat virtutem.*
- Io Deus! Me tanta gratia dignum nunquam putavi. — *F. Castán M. C. M. F.***
- Jesus Christus Redemptor vivat! Cor Mariae vivat!**  
*Josephus Brengaret Pujol, C. M. F.*
- Adveniat regnum tuum!**  
*T. Ruiz de Larriaga, C. M. F.*
- Jesu et Mariae sacra Corda vivant!**  
*Johannes Baixeras, C. M. F.*
- Domine, fiat in omnibus voluntas tua!**  
*Antonius M.<sup>a</sup> Dalmau, C. M. F.*
- Pro Congregatione animabusque mortior! — *Josephus M.<sup>a</sup> Blasco, C. M. F.***
- Jesu et Mariae Sacra Corda, vivatis!**  
*Josephus M.<sup>a</sup> Badia, C. M. F.*
- Jesu et Mariae sacra Corda vivant!**  
*Petrus Garcia Bernal, C. M. F.*
- Quem vero scopum? quod consilium?  
Pro te, Regina dulcissima, sanguinem fundere. — *Salvator Pigem, C. M. F.*
- Congregatio, vivas!**  
*Alphonsus Miquel, C. M. F.*
- Cor Mariae, dulcis Matris, vivas! Rex Christe, Redemptor, vivas! Pater, ignosce illis. — *Aloisius Masferrer, C. M. F.***
- Summus Pontifex vivat, vivatque Actio Catholical!**  
*Secundinus M.<sup>a</sup> Ortega, C. M. F.*
- Vivas Congregatio sancta, vexata, martyr! Vivas in aeternum. Congregatio duicissima; nam dum filii tibi sint quales Barbastri in custodia manent, fata tua. noli dubitare, perpetuo stabunt. Sub signis tuis optaveram dimicare. Dominus sit benedictus!  
*Faustinus Pérez, C. M. F.*

*Hic Episcopus glandibus trajectus, necnon et dignitates omnes Cathedralis Ecclesiae, sacerdotes non pauci hujus civitatis, necnon et pagorum vicorumque circumstantium, laici haud exiguo numero. Cum has robis litteras mitto, die XIII m. Augusti, triginta circiter sociorum jam ceciderunt. Cras, die natali meo, in caelum recto itinere advolaturum spero. Valete, dilectissimi parentes, care fratre, cognati et necessarii dulcissimi. Valete usque ad caelum. Ibi pro robis deprecabor. Filio, qui placido et tranquillo animo pro Christo mortem patitur, nunquam nunc cariores.* — JOSEPHUS, C. M. F.

Habetis, lectores humanissimi, haec pauca, sed eximia, testimonia fratrum qui mense Augusto Barbastri quinque abhinc annis martyrii palmam strenui adripuerunt. Alia plura adduxisse, sed satis est ad eorum memoriam recolendam. Sufficiat tantum Augustini verba (*Serm. 47 de Sanctis*) in mentem revocare: «imitari non piceat, quod celebrare delectat.»

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ, C. M. F.

Barcinone, pridie Id. Julias a. MCMXLI.

## Bibliographia

Plácido Múgica, S. I. — *Diccionario manual latino-español y español-latino*. Edit. «Razón y Fe», Madrid.

Deerant certe apud nostrates dictionaria manualia quae alumnis, bacchalaureatum optantibus, inservire possint. Nunc autem plura in lucem prodierunt, et in eis non minore laude dignum quod alumnis praebet P. Placidus Múgica. — Hae praecipue in eo laudandae apparent virtutes: magna vocabulorum copia, sensuum ejusdem vocis distinctio ope rumerorum; exempla cujusque sensus et auctores qui vocem usurparunt: Quae omnia reddunt dictionarium, quamvis manuale, optimum atque integrum. — Latinum completur hispano vocabulario, quod easdem habet qualitates. At exempla auctorum, quae vocabulis apponuntur, pluriens versione hispanica opus haberent cum liber alumnis latinum sermonem parce callentibus destinetur, aliter parum proderunt eis exempla.

Antonio Tovar. — *Virgilio Eglogas*, Centro de Estudios Históricos, Madrid.

«Supremum investigationum scientificarum Consilium» sub titulo «Clásicos Emérita» commentaria in classicos auctores est adgressum.

Egregii viri qui illud Congressum moderantur atque «Emeritam» ephemeridem regunt, probata sunt argumenta pro operibus quae in lucem proibunt.

Vergilianae Eglogae seu Bucolicae, quae tractu temporum summam litteratorum hominum admirationem sibi conciliarunt, optimum in Dno. A. Tovar investigatorem atque interpretem, habuerunt. Omnes quae de critica textus adsunt quaestiones, de grammatica, de vero sensu sive litterali sive allegorico, de personis de quibus in Bucolicis sermo est: verba quae ad alias poetas graecos et latinos referuntur, opera, ephemerides, auctores veteres et recentiores: omnia sedulo ac diligenter perpenduntur atque investigantur. Haec commentaria parvam dixeris encyclopaediam: quae viam significat atque sternit de omnibus fere quaestionibus quae ad haec Vergiliana poēmata spectant. Eruditum sane commentarium, quod non ita opportune in manus alumnorum collocandum arbitramur qui primum Vergilio operam dant, sed his qui perfectiore de Poēta cognitionem sibi comparare studeant.

Nonne ea quae de «candido... Sole» (pag. 75, n. 56) ad Theologiam refers aliquatenus emendares?

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

# **Per Orbem**

## **Sollemnia Augustea Caesaraugustae habita**

Dum Romae bis millesima ab Augusti nativitate commemoratio sollemniter celebrabatur, Municipium Caesaraugstanum cum Juridico Conventu et Athenaeo litterarum, Augustum Caesarem, cuius nomine et origine gloriatur, miracum ostentatione et magnificentia recolere statuerunt, fautore praesertim Dre. Paschale Galindo Studiorum Universitatis pro rectore.

Sed tunc sollemnia Augustea procrastinare opus fuit, cum Caesaraugstani cives horribili et diutino bello, ad muros fere inmissio, distenti essent et distracti.

Quo vero sanctum et laudabile propositum in tanta rerum vicissitudine firmitius staret consilium initum est Conlegium Augusteum constituendi, quod ita se habuit:

Praeses: Dr. PASCHALIS GALINDO Caesaraugstanus Prof. et Pro Rector. Vice Praesidis: Dr. MARTÍNEZ SANTOLLALLA in Univ. Matritensi Prof. Actuarius: Prof. PRIETO CASTRO in Caesaraugstana Univ. Antecessor. Socii: Prof. BATTAGLIA Instituti Cultus Italiani praeses in sede Matritensi. — Prof. SANCHO IZQUIERDO pro Municipio Caesaraugstano — Prof. SANCHO SERAL. — Prof. VINCENTIUS TENA. — Prof. CONSIGLIO Caesaraugstae moderator Inst. Cultus Itali. — Dnus. DOMINICUS ANGELINI Prof. emeritus. — Dnus. JOSEPHUS ALBARELA pro Deputatione. — Dnus. HORNO LIRIA. — Dnus. CAMÓN Prof. Caesaraugstanus. — Dnus. SÁNCHEZ VENTURA Moderator preli. — Dnus. CORREA PERÓ Moderator propagandarum. — Dnus. BOROBIO Arquitectus municipii. — Dnus. MUÑOZ CASAYÚS pro F. E. T. et J. O. N. S. — Dnus. CATIVIELA. — Dnus. GARCÍA JALÓN. — Dni. PARICIO et NAVARRO. — Dnus. SINUÉS Moderator Parsimoniae mensae (*Caja de Ahorros*).



Demum placuit Deo ut arma togae cederent. Tunc ergo Conlegium Augusteae commemorationi se adinxit. Jam vero simplex commemorationis satis non erat: Conlegium XXI virum constituerunt simulque publicas conlationes coetusque sollempniores habere sub auspicio FRANCISCI FRANCI Hispaniae Ducis et BENEDICTI MUSSOLINI Ducis instauratorisque Italiae. Quapropter Augustei Conlegii praeses has quae sequuntur literas unicuique perlucida elegantique membrana adfibre depicta misit.

"Conlegium Augusto Monumenti Caesaraugstae erigendi Francisco Franci Filio Hispaniae Duci Instauratore S. P. D.

Caesaraugsta cui ab ipso Augusto et nomen signatum et fatum confirmatum maximo erga D. F. tenetur officio. Caesaraugstanus Iuridicus Conventus, Municipium Athenaeumque Monumentum erigendum sacrandumque statuere. Diu optatum civili furore confecto parta victoria nunc perficere exoptant. Delectum Conlegium labori feliciter volvendo nomen tuum et honori et exemplo et praesidio adiungere velis celsitudinem tuam enixe rogam. Pergratum feceris si tuum ad nutum consilium opemque nos laborare permiseris. Vale.

PASCH. GALINDO, Stud. Univ. P. Rector  
Conlegii Praeses.

Dat. Caesaraugstae id. Maj. an. p. Ch. n. MCMXXXIX quo victoria felici Hispania imperium te duce rettulit.»

"Conlegium Augusto Monumenti Caesaraugstae erigendi Benedicto Mussolini Filio Italiae Duci Instauratore S. P. D.

Caesaraugsta et nomine et origine a Caes. Augusto Divi Filio gloriata, hostibus penitus deletis, inter triumphalia gaudia bucusque dilatam Augusti bimillen. commemorationem iure merito magnificare tenetur. Caesaraugstanus Iuridicus Conventus una

*cum Municipio Athenaeoque ipsi Augusto ad civitatis muros sacrare exoptant. Te Ducem Italicum Urbis Imperium denuo Instaurantem auspicem flagitant nomenque tuum simul cum nostro Duce Instauratoreque Franco honoris praesidi consili causa nostrae celebrationi adiungendum precantur. Celsitudinem tuam simul orant ut imaginem Augusti ab optimo exemplari expressam pro erigendo monumento nostrae Romanae civitati dono des. Vale.*

PASCH. GALINDO, Stud. Univ. P. Rector  
Conlegi Praeses.

*Dat. Caesaraugustae a. d. XI Kal. Jun. an. p. Cb. n. MCMXXXIX, qui et Hisp. Viāt. I et a fasibus restitutis XVII numeratur.»*

Postquam haec tam optima praeclaraque auspicia rata confirmataque sunt facile conjici poterat praestantia sollemnium quae a Conlegio Augusto parabantur.

Sed nondum dies data, nondum imago caelata. Interea obortum bellum inmane, augebantque magis in dies rerum sollicitudines et anxietates. Demum subkalendas majas notitia ad Conlegium defertur Augusti imaginem Barcinonem jamjam pervenire.

Tum conlegii praeses magno animi fervore simul et amore se totus operi dicat. socios ad arma vocat, qui sollemnia ordinent, dentque diem, oratores arcessant, supremos magistratus legatosque tum Italos cum Hispanos certiores faciant, coetum congregent omniaque parent.

Igitur quod laborem plurium mensium requirebat, paucissimis tantum diebus erat in promptu. Quo tamen eventu? Citissime exigueque dicam

Die 30 m. Maji hora 19'30 in aula regia Universitatis egregius et EXMUS. DNUS. SERRANO SUÑER rei publicae in Hispania supremus Administer «Hebdomadam Auguestam» sollemniter aper tam adnuntiat.

DR. GALINDO, Augusteī Conlegii Praeses, omnibus salutem dat votaque precatur.

DR. PERROTTA in Univ. Romana Litterarum Graecarum Professor «de Augusto» fuse lateque disserit.

Die 31 hora 12, dum ad aram B. M. Virginis a Columna sacrum littabatur, «CARMEN SAECULARE» in XIX Centenario B. M. Virginis adparitionis a Patre H. MARTIJA, C. M. F. ad modos Horatianos aptatum primum pueri modulabantur.

Vespere hora 19'30 in aula conlationum Universitatis DNUS. BELTRÁN Valentiae in Instituto «Lud. Vives» Prof. de numismatibus Augusteis Caesaraugustae incussis docte ac versatissime locutus est

Die 1 m. Junii hora 19'30 DNUS. GALINDO Universitatis Caesaraugustanae Pro Rector auditorum animos adipuit dum de Augusto hujus clarissimae urbis conditore luculenter disputabat.

Die 3 hora 19'30 DR. TORRES LÓPEZ in Universitate Salmanticensi Prof. argumentorum copia verborumque ornatu sermonem habuit de Hispania civitate Romana ab Augusto donata.

Die 4 hora 19'30 DR. PACE in Universitate Romana Archaeologiae Prof. «Romanam ante et post fossiones a Mussolinio Duce ordinatas» pulcris et lucidis imaginibus conlustravit.

Hominum concursu frequentissimo et amplissimo praesertim postridie Kal. Jun... monumentum Auguestum in foro Aragoniae institutum.

Aderat CLMUS. et EXMUS. DNUS. IBÁÑEZ MARTÍN Publicae Institutionis Administrator; aderat EXMUS. COMES ZOPPI in Legatione Italia Matritensi Prolegatus; aderant quoque supremi civitatis magistratus, militiae et phalangis duces, missi domini et feminae a legionibus Italiae, Professores clmi. tum Itali cum Hispani.

Milites et phalanges ad custodiam et honorem convocati circuibant forum Italicis et Hispanicis vexillis mirum in modum ornatum. Musica instrumenta hymnos patrios fervidis sonibus concinebant. Paulo post Egregius COMES ZOPPI nomine Ducis Italiae statuam benigne amanterque Caesaraugustae civitati dicat et obfert, quam DNUS. RIVAS magister civitatis grato animo recipit eamque

fideliter servandam promittit in foedus et testimonium fidei et amoris. Silentio classico facto, adparet imago omnesque porrecta manu salutant.

Imago aenea, Neapoli caelata, supra tertium metrum celsitudine ascendit. Nunc dum proprium et fixum monumentum apud veteres muros Romanos erigitur, Augusti imago supra cippum consistit in quo inscriptum est:

CAES. AVGVSTO  
CIVITAS . AB . IPSO . FVNDATA  
F . C .  
M C M X X X

DVX. ITALIAE  
IMAGINEM . CAESARAVGVSTAE  
D . D .

Paulo post in Regia Universitate Medicinae memorabili signabatur lapillo Hispanorum cum Italicis foedus et amicitia. Augustea commemoratione perdurante inita. DR. DNUS. RICARDUS HORNO ALCORTA Academiae medicinae Pro Rector sensum lapidis, jam prius in Aula Univ. sculpti, calida oratione expressit. Lapillus aureis litteris haec habet.

ROMA ET HISPANIA VETVS IMPERIVM TENVERE  
ITALI ET HISPANI NOVVM IMPERIVM  
DVCIBVS MVSSOLINO ET FRANCO  
CONFIDENTES EXOPTANT  
LABORANTES EFFICIVNT  
SVB NOMINE DIVI AVGVSTI  
NATALIS IVLI SIDERIS GIRO SAECVL VICIES VOLVENTE  
SCIENTIA IVRE LINGVA HVMANITATE  
IN AETERNVM IVRANT  
CAESARAVGVSTAE CH. N. A. MCMXXXVIII  
AER. ITA. A. XVI N. AER. HISP. A. II

Hac ipsa die, hora 20, in aula theatrale «domus mercantilis» sollemnis consesus habitus, Administratio publicae Institutionis moderante, in quo DR. RICCO-BONO vir egregius et clarus Prof. «de Ro-

manis ad portationibus juridicis in Hispaniam» disseruit et demum «Carmen Saeculare» a MAGISTRO JACHINO ad modos aptatum ipsius auctore concursu et directione, mirifice interpretatum, adstantium aures demulcebat.

Hora IX cum dimidia post lectionem sollempnem, ad cenam magnam conveniebant ordinatores et socii nobiliores «Hebdomadae Augustae».

Est in actuaria mea invitatio ad cenam eleganti cartula latine conscripta ita se habet:

«Ad cenam augusteam postr. Kal. Iun. a Conlegio XV Virum Augusteo te invitatum scias apud Dom. Mercat.

#### ORDO CENAE

Gustatione: Avis reginae petasonisque jusculum expresum.

Prima cena: Pisces jure madefactos, aeois fructibus perfectos.

Altera cena: Veru torrefactos gallinaceos pullos, asparagis, oleribusque protectos.

Secundis mensis: Gelu consistentia lac ovaque.

Placenta ova condita.

Hispaniae lectissimos fructus.

Symposio: Aragoniae varias amphoras, mulsum Romanum, liquores spumantes evantesque.

Odore fumantia folia comburere licet aere proprio».

Illa praetereo quae ad publicas receptiones visitationesque quas vocant archaeologicas per «Hebdomadam Augusteam» tum Caesaraugustae tumJuliae Celsae Numantiaeque optimo consilio ordinatas et claris viris Cabré et Taracena moderatoribus perfectas.

Liceat tamen iis omnibus quorum consilio, praesentia, labore haec solennissima Augusti commemoratione gesta est, felicem eventum exitumque gratulari.

Caesaraugustae XIII Kal. Jul.

ACTUARIUS






in Lafinum  
translata a R.  
P. Ludovico  
MARcos  
C. M. F.  
Villae. Rosarii  
in Argentina  
litt. Lat.  
Professore.


### LV

Lacus ille clementer effusus  
tumidis coepit horrere fluctibus,  
ferae namque turbatis  
validis motibus exagita-  
tur.




### LVI

Aspera res erat admodum.  
«Hodie demum agitur de  
nobis»; ajebat Titus, cum  
ad properantes vidi immi-  
nentes alites.



### LVII

Jam fere luto nequissimo  
absumebantur, cum gemi-  
mus vultur, tanquam a cae-  
lo demissi, illos in spem  
erigunt,



### LVIII

per aethera extollentes eos.  
«Quorsum nos haec mon-  
stra ferent? Conqueri videtur  
Titus; spem inter et metum  
pavitans.

